

147.



Vd. 147.





47.







Q. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE

CONDITIONE  
PRINCIPIS QUI  
IMPERIO SE  
ABDICAVIT

QUAM

PRAESIDE

MARTINO HASSEN  
MORALIUM ET CIVILIUM PROFES-  
SORE PUBLICO

IN

ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA

AD D. IV SEPTEMB. MDCCXXXIV

H. L. Q. C.

INSTITUET

GOTTLIEB FRIEDERICUS FICKER

CIZENS. MISN.

PHILOS. MAG. ET SS. THEOL. CULTOR

VITEMBERGAE

LITTERIS VIDUAE COBERSTEINIAE.



EXERCITATIO ACADEMICA  
DE

CONDITIO  
PRINCIPIS QUI  
IMPERIO SE

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE

Vol 147

MARTINO LASSER  
MORALIUM ET CIVILIU PROPOS.

ILLUSTRI AD ALIAM ACADEMIA

GOTTLEB BRUNNICH PUCKER







§. I.



Res circiter anni sunt, cum Carolus Emanuel, *Occasio in-*  
Sardiniae Rex, etiam nunc regnans, (1) patrem *stituti.*  
suum, Victorem Amadeum II, qui depositum  
ultra principatum ipsi tradiderat, (2) armato mi-  
lite, speciem prae se ferente comitatus, stipa-  
tum, in uicinam Ripulae arcem abduci, ibidem-  
que, liberaliore septum custodia, retineri, ideo iussit, quod rei  
publicae turbas occulte moliri arguebatur. Quod quidem factum,  
uti uaria passim iudicia in hominibus, rerum ciuilium curio-  
sis, excitauit, ita occasionem nobis obtulit ad scribendam hanc  
dissertationem, de conditione Principis, qui imperio se abdi-  
cauit.

(1) Natus est d. XXVII April. MDCCI, Patre, qui hic nominatur, Victore Amadeo  
II, primo Sardiniae Rege, matre, Anna Maria, Philippi, Ducis Aurelianensis,  
filia, vid. Memoirs of the Royal House of Savoy, vwith an historical abstract of  
the Princes of that Family, London MDCCVII, 8. Quibus autem conditionibus  
Victor Amadeus regnum Sardiniae, pro Siciliae regno, ab Imperatore cessum,  
acceperit, vid. in FABRI Staats-Canzeley, Tom. XLII, p. 667.

(2) Regno se abdicauit, et, retenta Comitatus Tendae dignitate, Camberium ad ha-  
bitandum sibi delegit d. III Sept. MDCCXXX, et, altero post anno, d. XXXI  
Octobr. obiit. Abdicationis solennia commemorantur in Diario, quod inscribi-  
tur Europaeische Fama, ad A. MDCCXXXI, part. 334, p. 311.

(3) Deductionis huius, inter d. XXVIII et XXIX Octobr. MDCCXXXI factae,  
uarietate a uariis narratae, causas ipse Rex Sardiniae, scripto, ut uocant, Mani-  
festo declarasse perhibetur, uid. inter alios auct. anon. des Genealog. Archiuarii  
part. IV, p. 369.



§. II.

Explicatio  
uocum.

Tam usitata quidem tamque nota sunt uerba, quibus argumentum hoc concepimus, ut eorum explicacione omnino superfedere possimus. Ne tamen aliquid reliqui faciamus, quod ad rem, penitus intelligendam, pertinere uideretur, hac etiam in parte, paucis nunc defungemur. Vox Principis, eximie hic usurpata, eum significat, qui populo alicui, summa cum potestate, praeest, indeque singulari etiam nomine, ueluti Imperatoris, Regis, Ducis, aut Principis regnantis, nuncupatur. (1) Quo quidem nomine ab eo distinguitur, qui principali tantum dignitate est praeditus, dominatum uero, siue, quod eundem habet sensum, imperium non habet. Conditionis uocabulo non pactioem, seu legem, certo adiectam negotio, sed statum, id est, certam uitae rationem, hic comprehendendi, (2) eo facilius intelligitur, quo notius est, talem maxime significacionem Latinis esse usitatam. Nec, nisi literarum expertis, ignorare potest, abdicare se imperio idem ualere, ac deponere principatum, aut summo magistratu abire. (3) Quod cum Princeps uel sua sponte facere possit, uel aliena, duplex hinc abdicatio existit, una uoluntaria, qualis hic intelligitur, altera coacta, (4) utraque autem uel in perpetuum, uel ad certum duntaxat tempus, perdurat. (5)

- (1) Principis nomine Romanus etiam Imperator passim in Iure uocatur, ueluti in l. 85, D. de legat. 3, l. ult. D. de postul. l. 24, D. ad municipal. Hanc uero appellationem ab Augusti instituto profectam esse, meminit TACIT. lib. I. Annal. cap. I, n. 3.
- (2) Quid et quotuplex sit status, in morali acceptus sensu, fuse explicatur in PRAESID. Synops. p. 103.
- (3) Hinc prodita est formula, actrisque inserta, ABD. uid. C. S. SCHURZFLEISCH. in diss. de eo, quod interest abdicat. Princip. § II, p. 4. Hoc abdicandi uerbum de priuatis, alioquin usurpari, constat, siquidem datur abdicatio liberorum, quam inter alios explicant ARNIS. de Rep. lib. 1, cap. IV, §. XX, p. 297. et IO. FRID. HORN. in Architect. de ciuit. lib. I, cap. II, §. IV, n. 6. sqq. ibique SIM. KUCHENBECKER. in not. p. 108.
- (4) Dicitur etiam inuoluntaria, eaque, ubi ex causa sacra fuerit facta, excommunicatio, si ex causa profana, depositio, seu exauguratio, uocatur, prout tradit BECMAN. in syntagm. dignit. illustr. diss. IX, cap. I, §. I, p. 86. An uero Prin-



Princeps, et speciatim Imperator Romanus, ab imperio remoueri possit, perdifficilis est quaestio, quae in utramque a Dd. partem disceptari solet, vid. IO. FRID. PEEFFINGER. in not. ad Vitriar. lib. I Instit. Iur. publ. tit. IX, §. IV, p. 915.

(5) Abdicationis voluntariae, ad tempus factae, exemplum est Philippus V, Hispaniarum Rex, hodieque regnans, qui A. MDCCXXIV, d. XV Ian. in arce Ildefonfia, depositum ultro regnum, certis tantum prouentibus sibi reseruatis, filio suo, Ludouico, Asturiae Principi, cessit, hoc autem d. XXX Augusti d. a defuncto, illud statim recepit, cuius quidem abdicationis narratio extat in lettres historiques d. a Superstitiosa autem abdicationis fuit, quam Solimannus, Persarum Rex, ad tempus non ita longum, suscepit. Cum enim, sub initium regni, et annonae caritas incolas, et morborum uis regem, premeret, idque ex inauspicato dominatus principio prouenisse, crederetur, persuasum est Regi, si felice in posterum omne regnare uellet, thronum aliquantisper deferendum esse, aliique tandem relinquendum, donec, hora auspiciore, denuo occupari posset Itaque Rex, tali inductus opinione, solum Gaurio cuidam permisit, eique, postea expulso, iterum successit, adeoque nouum quasi imperium fuit auspiciatus, prout, ex Tauerniero, multis id uerbis refert BECMAN. in diss. de felic. iniur. cap. II, §. XXII, p. 40.

§. III.

Antequam uero Principis, qui ultro de republica cessit, *An abdicationis sit licita.* conditionem, seu statum, definiamus, operae pretium nobis uideatur, subdifficilem hanc quaestionem asserre, An principi imperio se abdicare liceat. (1) Per multa in utramque hic partem occurrunt, e quibus nonnulla strictim attingemus. Qui, principem a sua se prouincia remouendi ius habere, negant, principatum munus esse, diuinitus assignatum, eamque ob causam non humano, sed diuino, aestimandum arbitrio, contendunt. (2) Tam arcto praeterea uinculo rectorem cum ciuitate sua constringi, aiunt, ut illud rumpere hoc minus possit, quod tacito saltem consensu sit pollicitus, eam, quoad uita suppetat, se fore gubernaturum. Denique, reipublicae moderatorem non magis populi sui curam abicere posse, statuunt, quam parenti liberos, tutori pupillum, et pastori oues, deferere liceat. Contra hanc uero sententiam pugnantes, Principi imperio se subtrahendi facultatem ideo tribuunt, quod ea omnia permilla censi debeant, quae lege pactoue



pactoue prohibita esse, non constet. (3) Quid quod Principem ad onus graue, (4) cui se minus parem sentiat, sustinendum, cogere, iniquum perinde iudicant, ac reipublicae administrum, aut ciuem, in suscepto semel munere, inuitum retinere, ac tergiuersantem. Quaecumque autem sit uinculum, quo Princeps cum populo, sibi subiecto, sit obstrictus, id tamen tale esse, ut non, nisi morte, dissolui possit, propterea negant, quia, quod sua quis uoluntate assumerit, id, urgente etiam necessitate, dimittendi libertatem habeat. Nec, tacitam hic consensionem, si qua inferri possit, ad reipublicam, perpetuo administrandam, plus ualere, existimant, quam expressam, cum omnis obligatio, expresso etiam consensu inita, hac nitatur conditione, si res, aut persona, in eodem statu permaneat. Facta igitur siue rei, siue personae, mutatione, adeoque praecipua, ex qua obligatio pendeat, conditione sublata, ipsam quoque obligationem tolli, argumentantur. (5) Vnde, parentes, tutores, ac pastores, ad praestanda, quae debeant, officia non diutius obstringi, concludunt, quam quoad res id tulerit, aut eorum facultas. Quae rationum momenta tanta omnino nobis uidentur, ut eandem fere sententiam sequi haud dubitemus. Nimirum, Principi summam magistratus personam deponere ita licitum putamus, si graues iustasque deponendi causas habeat, (6) nec singulari aliqua lege, seu pactione, teneatur, quamquam hoc etiam casu, ut modo est dictum, aequitas postulat, ut ab obligatione eorum, quae praestare se posse, negat, plane liberetur. (7)

(1) An Imperator Romanus imperio se abdicare possit, acriter disceptant Iuris publici doctores, ueluti LIMN. in annot. ad prooem. capit. Ferdin. I, p. 481, et Tom. I. Iur. publ. lib. II, cap. XI, CONRING. in annot. ad Lampad. part. III, cap. II, §. VII, KNICHEN. in op. polit. lib. III, part. III, sect. I, cap. III, f. 149. aliique, citati a PFEFFINGER. in not. ad Vitriar. c. modo l. p. 913. conf. AHASV. FRITSCH in tr. de resign. Imper. Reg. et Princip. in part. I, opp. tr. IV, cap. I, fol. 65, sqq. IO. CHRIST. MULDENER. in posit. inaug. de abdicat. defens. Erfurti MDCXCH, ULRIC. OBRECHT. in abdicat. Caroli V, p. 333. in dissert. eiusdem academiae. edit. Argentor. MDCCIV, et C. S. SCHURZFLEISCH. in cit. dissert. p. 10.



- (2) Maieſtatem, ſeu ſummam poteſtatem, a Deo tribui, in dubium haud uenit. Utrum uero immediate, ut uulgo loquuntur, an mediate, interueniente populi conſtitutione, conferatur, controuerſa eſt, in utramque partem a Dd. diiudicari ſolita, uid. PRAESID. ſynopſ. p. 671, poſ. 25, ſqq.
- (3) Plerumque hic diſtingui ſolent regna, quae hereditatis iure nituntur, ab iis, quae ex libera electione pendent, cum in illis maior fit facultas abdicandi, quam in his, id quod Caroli V exemplo, mox afferendo, declarat OBRECHT. in cit. diſſ. p. 236.
- (4) Arduum et ſubiectum fortunae cuncta regendi onus appellat Tiberius apud TACIT. lib. I Annal. cap. XII. Quam ob rem Chriſtina, Sueciae regina, cum abdicati a ſe regni gubernacula Carolo Guſtavo traderet, ipſum, dixit, munus iam iam diſſicillimum ire ſuſceptum, commemorante PUFENDORF. lib. XXVI, de reb. Suec. §. XXXIV, f. 1063. Maximum pariter grauiffimumque onus imperium dixit Carolus V, in inſtitutione paterna, filio, Philippo II, relicta, quam, Germanice inſcriptam, des groſſen Kayfers, Caroli V, Regier-Kunſt, oder vaeterliche Inſtruction an ſeinen Sohn, Philippum II, Koenig in Spanien, cum not. edidit D. IO. GEORG. LEIB. Lipſ. MDCCXIV, 8. Quid quod Antigonus, Aſiae Rex, filium ſuum monuit, regnum ſplendidam eſſe ſeruitutem, τὴν βασιλείαν ἐνδοξὸν εἶναι δαλείαν, narrante AELIANO lib. II var. hiſtor. cap. XX, quod dictum perbelle illuſtrauit IO. SCHEFFER. in not. p. 102. conf. VALER. MAXIM. lib. VII, cap. II, in extern. n. V.
- (5) Vid. hic HUG. GROT. lib. II, de I. B. et P. cap. XVI, §. XXVII, conf. PRAESID. ſynopſ. p. 406, poſ. 575, ſqq.
- (6) Nimirum, quae cum abdicanti ſint honeſtae, tum rei publicae non damnosae. An uero tales cenſeri debeant quietis tranquillitatisque cupidus, corpus, uale tudine deſtitutum, morbisue obnoxium, ſenectus grauior, labores, turbae ac moleſtiae imperii, et huius generis aliae, Dd. nonnulli ambigunt, uid. SCHURZFLEISCH. in cit. diſſ. p. 6, in not. Cum autem Principes, occultatis plerumque cauſis ueris, unam alteramque ex his afferre ſoleant, eas tum utique ratas haberi oportet, ſi lege non fuerint aliter definitae, uid. hic BECMAN. in c. ſynt. p. 828.
- (7) Paſſionibus quidem hic ſtandum eſſe, plerique ſcriptores de abdicatione docent, ueluti OBRECHT. in c. diſſ. p. 235, et SCHURZFLEISCH. in c. pariter d. p. 7. Verum, ſi Princeps, a tali etiam obligatione recedendi iuſtam ſe habere cauſam, contendat, tunc quoque hoc magis acquieſcendum eſt, quod cogi non poteſt, ſed admoneri et rogari, ſin, propoſito inhaerens, renuerit, ob deſiciens inter homines tribunal, Deo et foro interiori relinqui debet, ut ſcite loquitur SCHURZFLEISCH. in c. d. p. 7, in not. conf. PRAESID. ſynopſ. p. 703, poſ. 77.

§. IV.



§. IV.

*Exempla  
uolunta-  
riae abdi-  
cationis.*

Quam rarum uero atque insolitum uideri posset, Principes tale ultro fastigium relinquere, ad quod multi, cruenta etiam uia, grassantur, (1) fuerunt tamen, omnibus fere temporibus, qui eius modi mutationem, certis adducti causis, fecerunt. Inter antiquiores quidem Principes habetur Aegyptiorum Rex, Ptolemaeus Lagi, qui depositum abs se sceptrum filio natu minimo permisit. (2) Sic Gothorum in Italia Rex, Theodahatus, pacis literarumque amantissimus, poscente bellum Iustiniano, cum annua mille ac ducentorum aureorum pensione regnum commutare maluit, quam sanguinem fundere, hostili armorum ui decertando. (3) Inter ueteres quoque Romanorum Imperatores duo in primis referuntur, Valerius Diocletianus, eiusque in imperio socius, Maximianus Hercules, quorum ille sua quidem sponte regnantis dignitatem exiit, atque, in Dalmatia, amoenum, prope Salonam, praedium ingressus, agrorum cultura uitam transiit, (4) hic autem, illius consilio motus, dimisso pariter imperio, in Lucaniam secessit. (5) Ex Graecis pariter Imperatoribus, hic commemorari debet Io. Cantacuzenus, utpote qui, assumpto Ioasaphi Christoduli nomine, in monasterium se recepit, ibique iucundum solitudinis otium in quatuor, qui extant, libris, de suo et Andronici Palaeologi iunioris imperio, scribendis, fere consumpsit. Quae quidem uitae monasticae suauitas non plurimos tantum Reges, ueluti Bulgarorum Bogorem, (7) Hispanorum Vambam, (8) et Arragonensium Iacobum, (9) ad deserenda reipublicae gubernacula pellexit, sed, ex Francicis quoque Imperatoribus, Lotharium, Ludouici pii filium, ita cepit, ut, summi rectoris persona, quam, per quindecim omnino annos, sustinuerat, abiecta, in coenobii Prumiensis sodalitatem se conferret. (10) Huius exemplum, longo post tempore interiecto, secutus est Imperator, Carolus V, qui, siue aduersae, quam identidem expertus erat, fortunae pertaesus, (11) siue grauiore, ut causabatur, aetate, ortaue hinc ualetudine infirma, commotus, (12) adeo-  
que



que ardenti quietis desiderio affectus, (12) non Hispanici tantum regni prouincias filio suo, Philippo, cedit, (14) sed Romani etiam imperii falces, ordinum consensu aegre impetrato, (15) fratri, Ferdinando, tradidit, (16) eoque facto, in Hispaniam profectus, (17) S. Iusti monasterium sibi delegit, (18), tanquam exoptatum e longa navigatione portum, in quo animae salutem, quasi arreptam e naufragio rabulam, feruari, placidamque, ex uoto, mortem obiri posse, confidebat. Nec fallacem hic spem habuit Princeps, immortali dignus gloria, siquidem piam, quam in secessu, istoc degerat, uitam (19) mors beata, postquam sibi uiuo exequiarum iusta fieri, iusserat, (20) breui est consecuta. (21) An similes ex abdicatione fructus perceperit Christina, felicissima quondam Suecorum dominatrix, (22) disceptare hic nolumus, sit habentes meminisse, eam, uariis, magnamque partem incognitis, (23) causis impulsam, consobriuo suo, Carolo Gustavo, uacuum assignasse solium, (24) et, facta Religionis Pontificiae professione, (25) confectisque aliquot itineribus, (26) Romae decessisse. (27) Commemorandus etiam hic nobis est Io. Casimirus, Polonorum Rex, perenni meritorum laude illustris, (28) qui cum aetatis ac ualitudinis grauitati, tum aeternae felicitatis consequendae studio, (29) tantum concessit, ut, deposita ultro corona, in remotis a patria terris, sibi uiuere praegestiret. (30) Ex Romanis denique Pontificibus unum profectre liceat, Caelestinum V, qui, quamquam falsa potius persuasione inductus, (31) quam a se commorus, habita ad purpuratos oratione, (32) Pontificatum resignauit. Sed haec abdicationis exempla, quippe inter cetera, quae extant, (33) fere memorabiliora, haectenus recensenda, putauimus. Nunc ad institutum reuertamur.

(1) Nam uetus ac pridem mortalibus insita est potentiae cupido, ut scribit TACITVS lib. II histor. cap. XXXVIII, n. 2. atque, imperii cupidinem cunctis affectibus esse flagrantiorẽ, testatur idẽs, lib. XV annal. cap. LIII, n. V. Quod PVFENDORF. etiam affirmat in lib. XXIII de reb. Suec. § III, f. 976, ubi, nullus affectus, inquit in animos mortalium maior imperium obtinet, quam regnandi libido. Et, multo immenso ardore ad imperium ruere, suam saepe ac multorum millium uitam pro corona paciscentes, ait in lib. XXVI, §. XVIII, f. 1039. Quapropter abdicationem igno-



- tum Principum aulae prodigium uocat FAM. STRADA in decad. I, de bell Belg. lib. I, p. 5. conf. hic BECMAN. in c. synt. p. 827, VLR. OBRECHT. in c. diff. p. 231, et C. S. SCHVZFLAISCH. in c. diff. p. 3.
- (2) Vid. hic IUSTIN. lib. XVI histor. cap. II, ex quo etiam commemorat BECMAN. in c. synt. p. 827.
- (3) Hoc ex Baronii annal. et Goldasti constitutionibus pariter refert BECMAN. c. I.
- (4) Solum hunc omnium, post conditum Romanum imperium, ex tanto fastigio, sponte ad priuatae uitae statum ciuitatemque remeasse, scribunt EVTROP. lib. IX Brev. hist. Rom. cap. XVI, et PAUL. DIAC. lib. X hist. misc. cap. XIV, f. 876. in Script. hist. aug. edit. a Ian. Gruter. Hanov. MDCXI. Imperatoriam uero dignitatem, per uiginti gestam annos, deposuit Nicomediae, A. CCCIV, et in Dalmatia, septimo post anno, aetatis autem septuagesimo octauo, obiit, prout ex Eutrop. Vopisc. et aliis refert LAVR. PATAROL. in serie Cæs. n. XLIV, p. 85. edit. Venet. MDCCVIII. conf. THVANVS, qui, eundem, post administratum, uirtute summa ac prudentia, totos XX annos, imperium, Nicomediae, cum Maximiano, Collega, A. C. cccviii, eo se abdicasse, et Salonae in Dalmatia, uitam, hortorum cultura oblectando, priuatum transegisse, scribit in lib. XII hist. ad A. CIOIOLV, p. 262, edit. Paris. MDCIV. Quantam uero uoluptatem ex hortorum cultura ceperit, ex eo etiam apparet, quod, cum, ab Herculeo atque Galerio, ad recipiendum imperium sollicitaretur, tanquam pestem aliquam detestans, respondit, Utinam Salonae possitis uisere olera, nostris manibus instituta, profecto nunquam istud tentandum, iudicaretis, testibus AVREL. VICTORE in epitom. lib. de uir. et mor. Imp. cap. XXXI, f. 765, et PAUL. DIAC. c. supra I. Quod quidem responsum pluribus, iisdemque elegantioribus, uerbis enarrat Hispanus, ANTON. GVEVARA, in l. de contemptu aulae et laude uitae rusticae (memento precio de Corte y alabanza de aldeia) cap. XVII. Conf. LETI nella uita di Carlo V, part. IV, lib. III, p. 276. Causas huius mutationis fuisse partim onerosas occupationes, quarum taedio fuerit captus, partim tranquillitatis amorem, tradunt AVREL. VICTOR. c. de Cæs. I. PAUL. DIAC. c. I. et NICEPHOR. lib. VII hist. eccl. cap. XX. Alii uero mentis perturbationem afferunt, cum extrema coniunctam desperatione, tum quia Christianos omnes tollere non potuisset, tum quod fortuna metuisset inconstantiam, uid. ZONAR. tom. III annal. part. III, IONSTON. in polyhist. p. 554, et GREGOR. RICHTER. axiom. hist. CCLXXX, p. 483. Insatiabilem uero crudelitatem, quam ille in Oriente, uti Maximianus in Occidente, in Christianos adhibuit, describunt PAUL. DIAC. c. I. f. 876, NICEPHOR. lib. III, cap. VII, et LACTANT. de more persecut. cap. VII, sqq. Voluntaria denique, per formidinem, morte eum esse consumtum, iisdem plane uerbis commemorant AVREL. VICTOR. et PAUL. DIAC. cc. II. conf. EVSEB. lib. V, de uita Constant. et NICEPHOR. lib. VII, cap. XXI.
- (5) Maximianum, Numinis cultu, Herculei nomen adeptum esse, uti Diocletianus dictus fuerit Iovius, scribit AVREL. VICT. cap. XXXIX de Caesar. f. 709. Alii, eundem ideo sic dictum esse, aiunt, quod, Herculis genere se ortum, iactauerit, uid.



- uid PATAROL. c. l. p. 85. A Diocletiano imperii confors est factus, eiusdemque confilio, quamquam aegre, ad abdicationem permotus, testibus AVR. VICT. c. l. p. 751, et PAVL. DIAC. c. l. f. 876. Quare imperii fasces ipsum denuo affectasse, tradunt AVR. VICT. c. de Caes. l. p. 751, PAVL. DIAC. in c. hist. misc. lib. XI, f. 879, et PATAROL. c. l. id quod ex Suida pariter refert BEGMAN. in c. synt. p. 827, et in analect. histor. cap. VII, p. 166, ubi duos hos imperatores prudentes aleatores uocat, idem sentiens, atque AMELOTVS, qui in suo Tiberio scribit, Les bons joueurs se retirent sur leur gain, et n'attendent pas, que la chance tourne. Les gens sages aiment mieux descendre, que de tomber. Ils n'attendent pas, qu'on leur dise, c'est trop - Ils arrêtent eux mêmes leur barque, quand le bon vent donne trop dans leurs voiles. Quod significanter exprimit BEGMAN, in c. synt. p. 828. Denique, Maximianum, a Constantino, contra quem insidias struxerat, captum, fractis laqueo ceruicibus, se ipsum interemisse, commemorant PAVL. DIAC. c. l. f. 879. et LACTANT. c. l. Caeterum duos Maximiano panegyricos dixit Mamertinus, quos cum aliis edidit CHRIST. CELLARIUS, Halae MDCCIII.
- (6) Vid. hic THUAN. c. l. p. 263, BEGMAN. in c. synt. p. 827, et KNICHEN. in Op. pol. lib. II, part. V, f. 487, ubi ex Beyerling. Theatr. V. H. refert, XXI imperatores, partim ex Romanis, partim ex Byzantinis, monasticam vitam, depositis sceptris, elegerunt, conf. part. III, sect. I. cap. III, f. 149, itemque CHOPPIN. lib. II de sac. polit. tit. III, n. 17.
- (7) Hic alio nomine Michael vocatur, et, abiecta pariter purpura, in monasterium se recepit, prout ex Brunner. annal. Boic. lib. VII, p. 173. commemorat ZEILER. part. II, ep. CCCIV, p. 14.
- (8) Qui ab aliis Bamba scribitur, et, deposito itidem diademate, monachis se adiunxit, citantibus ex Baron. annal. BEGMAN. c. l. atque ex Bzouio OBRECHT. c. l. p. 232.
- (9) Qui morti vicinus in coenobium quoque abiit, testante ex L. Marin. BEGMAN. c. l. BEGMAN. c. l. Prumiense hoc coenobium, ab ipso constructum, et amplissimis possessionibus dotatum, fuisse, scribit THUAN. c. l. ex quo refert CARPZOY. cap. XIV, de leg. reg. p. 929.
- (11) Afferunt hanc causam THUAN. c. l. p. 261. et FAM. STRADA c. supra l. p. 14. Auerfa autem Caroli fortuna ex obsidione Metensi et bello Mauritiano maxime apparuit, uti non ipse tantum STRADA c. l. meminit, sed vulgares etiam uersus indicant, qui infelices Caroli conatus continent, et passim apud scriptores occurrunt, ueluti apud SCHARSCHMID. ad Schüz. uol. I. iur. publ. diss. III, p. 175, et BURGOLDENS. disc. I. ad Instr. Pac. p. 35. Mutabilis quidem fortunae metu, similiue affectu, Carolum, ad deponendos imperii fasces, impulsu fuisse, nonnulli negant, uid. STRADA c. l. p. 17. Probabilior tamen inter alias abdicationis causas haec etiam censeri potest, quam quod Carolus Papa esse uoluerit, uti statuit BRANTOMIUS, Gallus, tom. I. capit. étrang. p. 36. Quid uero, tum sua, tum consiliariorum, quibus nimium indulgebat, suorum, culpa, infelicitate gesserit, praeter



praeter THUAN. ad A. MDLVIII, p. 68, LETI nella uita di Carlo V, part. IV, lib. III, p. 342. sqq. et BURGOLD. c. I. p. 36, sqq. multi alii notarunt, ueluti IO. BURCH. MENCCKEN. in diss. de naeuis polit. Caroli V, hab. Lips. MDCCVI.

(12) Causa haec, quippe omnium grauissima, in prooem. capit. Ferdin. I, sic Germanice exprimitur, aus hochbeuueglichen Ursachen, vornehmlich aber vvegen obliegenden Alters, immervuahrenden Leibes-Schwachheit, und augenscheinlicher Unvermoeglichkeit, uid. LIMN. in annot. ad. h. l. p. 443. In R. I. de A. MDLIX in pr. dicitur, aus mercklichen, grossen, tapffern und trefflichen Ursachen, sonderlich aber von vvegen obliegenden Alters, und immervuahrenden Schwachheit. Affertur etiam ab ipso Carolo in literis, ad Ordines Imperii, Sudburgi MDLVI, et ad Cam. Spir. a eod. scriptis, uid. LIMN. c. l. p. 444, WILH. GODELEVEUS, in narrat. de abdic. Caroli V, quae extat in Schard. script. German. tom. II, p. 1914, et OBRECHT. in c. diss. p. 238. Arthriticum uero Carolum fuisse, seu articulari laborasse morbo, plerique tradunt, ueluti STRADA c. l. p. 14, LETI c. l. p. 274, et HEUTER. lib. XIV. rer. Austriae. cap. I.

(13) Quo quieti et tranquillitati se dederet, dicit GODELEV. c. l. p. 640. conf. LETI c. l. p. 278, et NATAL. COMES in lib. IX hist. sui temp. p. 179. Eam ob causam saepius usurpauit dictum centurionis cuiusdam, qui, uetus multorum stipendiorum eques, rebus humanis renuntiaturus, cum missionem peteret, Carolo, consilii huius causam exquirenti, respondisse fertur, INTER uitae negotia et mortis diem oportere spatium intercedere, uid. STRAD. c. l. p. 18.

(14) De hac cessione uid. THUAN. c. l. p. 264, et 352, SLEIDAN. lib. XXVI, f. 845, METERAN. lib. I, fol. 15, et LETI c. l. p. 277, sqq. qui etiam monita, Philippo data, exponit p. 289, conf. lib. D. LEIB. supra cit.

(15) Quippe, Electores, postquam grauissime constantissimeque, pluribus variisque comitiis, ea de re, habitis, renuissent, elapso tandem septennio, assensisse, scribit OBRECHT. in c. diss. p. 237 et 248.

(16) Quomodo totum hoc negotium fuerit confectum, praeter scriptores, iam citatos, omnino exponit GOLDAST. in Polit. Reichs-Haendeln, part. XXXIII, p. 950. Hanc abdicationem Romanus quidem Pontifex, Paulus IV, ideo improbauit, quod Carolus imperium in ipsius Papae manus haud concesserat, narrante THUANO in lib. XV, ad A. MDLVIII, p. 578. Sed successerit eius, Pius IV, quicquid a Carolo ac Ferdinando fuerat actum, omnino ratum habuit, idque merito, quia Pontifex nullum hic ius habet, ut plane hoc demonstrant LIMN. in c. annot. ad cap. Ferdin. I, p. 456, CONRING. ad Lampad. part. III, cap. II, n. 9, p. 118, FRITSCH. in c. supra tr. f. 69, aliique, citati a PEEFFING. ad Vitriar. lib. I, tit. IX, n. III, p. 914. conf. GOLDAST. in monarchia S. R. I. f. 245.

(17) Cum duabus uidelicet sororibus, Leonora, Franciae regina, et Maria, regina Hungariae, quae, cum fratrem a proposito diuertere haud potuerint, ab eo, de  
piu



prii secessus loco edoſtae, ut ſeſe ſocias admitteret, ac, quocunq; ueller, una abduceret, enixe ipſum conſtanterque rogarant, narrante HEUTER. in lib. XIV, cap. I. conf. LETI c. I. p. 277. Hic igitur Carolus, ad Laredum, Biſcaiae portum, appulſus, ubi primum e nauī deſcendens, terram tetigit, proſtratus, oſculum fixit, et, Salue, inquit, mihi optatiſſima mater, nudus ex utero matris exiui, nudus ad te, tanquam alteram matrem, redeo, et, quod unum poſſum, pro tam multis in me meritis, corpusculum hoc et oſſa mea do dedicoque, commemorantibus THUAN. in lib. XII, ad A. CIOIOLVI, p. 312, BELCAR. lib. XXVIII, p. 916, GODELEV. c. I. p. 647, et LETI c. I. p. 309. Hispanica Caroli uerba ex Remondo aſſert LIMN. in c. annor. p. 446. Memorabile eſt, quod, cum Carolus pedem uix nauī extuliſſet, haec, oborta ingenti tempeſtate, diſiecta fuerit, quaſi non amplius Caefarem ueſtura, eiusque fortunam, prout narrat LETI c. I. p. 308, et BECMAN. in hiſt. orb. terrar. cap. I, §. VII, p. 452.

(18) Hoc monaſterium ordinis eremitarum D. Hieronymi ſitum eſt in prouincia Eſtremadura, prope urbem Placentiae. Carolum iam antea, uidelicet A. MDXLII, hunc adieſſe locum, eoque penitus perſpecto, inter diſcedendum, adſtantibus dixiſſe, En locum ſolitarium pro altero Diocletiano, ſcribit LETI c. I. p. 312, qui ingenioſam quoque epicriſin de loco iſto adiungit p. 313. In iſta igitur ſolitudine ſuum Carolus domicilium collocauit, duodecim tantum famulis, auxilii cauſa, adſcitis, quamquam quatuor tantum ex iis ad neceſſarias adhibuit operas, ſororibus habitatione Vallidoleti aſſignata. Nec, niſi centum aureorum millia, ex annuis tot ampliſſimarum prouinciarum prouentibus, in rei familiaris uſum, ſemel accepit, immo, ex his etiam nummis, dum uixit, quatuor tantum millia conſumſit, reliquis in pauperiorum uirginum matrimonia, et uiduarum, pupillorum, aliorumque hominum miſerabilium, ſubſidia impenſis, ſecundum THUAN. c. I. p. 266, et 353, HEUTER. c. I. cap. VI, LIMN. c. I. p. 446, et LETI c. I. p. 394.

(19) Quam pie ſanctaeque Carolus in ſeſeſſu iſto uixerit, ſacris inhaerens meditationibus, et ſubiſſuas identidem horas in praeparandis colendisque hortis, fabricandis etiam horologiis et machinamentis, ad moliendos in ſublime fluuios, ope inſignis mathematici, Ianelli Turriani, adhibens, praeter STRAD. c. I. p. 11, BELCAR. lib. XXVI, p. 891, LETI c. I. p. 315, LIMN. c. I. p. 446, BECMAN. c. I. p. 453, alioſque ſcriptores, iam prolatos, ſuſe lateque enarrauit SANDOVAL in hiſtoria uitae, quam Carolus V in monaſterio Iuſti tranſegit, Hispanice ſcripta, Latine autem edita ab Ad. Eberto, et annexa hiſtoriae captiuitatis Franciſci I, G. R. p. 299, edit. Mediolani MDCCXV. Singulare aliquid eſt, quod Carolus, cum omnes res ſuas geſtas in mappis depingi, eaſque in monaſterii parietibus aſſigi, iuſſiſſet, ſaepius coram iſtis mappis pictis ſedit, ſecum ipſe recolens, quid in expeditionibus ſuis acciderit, et, ubi ad eas deuenit mappas, in quibus Smalcaldenſe bellum et captiuitas Electoris Saxon. depiſta erant, ingemiſcens ac ſuſpirans dixit, Hunc ſi reliquiſſem, qualis fuerat, manſiſſem et ego, qualis



eram, prout, his ipsis uerbis, ex Thom. Stybari uita Io. Friderici refert BUR-  
GOLDENS. c. supra l. §. XL1, p. 38. Funiculos etiam colligari iussit, iisdemque  
corpus suum, poenitentiae loco, crebro affixit, quos Philippus II postea reue-  
reter habuit, mortique proximus, afferri iussit, et, uti cruore Caroli, patris, asper-  
si erant, Philippo III, filio, tradidit, commemorante STRAD. c. l. p. 12, et ex  
hoc BECMAN. c. l. p. 433. De poenitentia Caroli SILHON. in Ministr. Stat.  
part. I, lib. II, disc. XV, p. 175, ita scribit, Pour le moins il est certain, que, s'il  
a été pécheur, il a été pénitent, et qu'il a lavé la faute avec les larmes de trois  
ans, qu'il versa en la retraite, qu'il fit du monde, avant que la mort l'en retirât.  
conf. hic LIMN. in c. annot. p. 447.

- (20) Cum Io. Regula, ex Hieronymiana familia, qui conscientiam Caroli modera-  
batur, institutum approbasset, apparatus est funus, et mortuale sacrum, moesto  
monachorum cantu, peractum, placidam Carolo requiem implorantium, ean-  
demque, canentibus permistus, in se exposcebat, donec, sacerdoti, missam cele-  
branti, propior factus, eique accensam, quam gestabat, facem tradens, subla-  
tis in caelum oculis, Deo pro anima sua supplicaret, eoque facto, ut erat pulla  
fluxaque opertus ueste, humi procubuit, renouatisque omnium, qui aderant,  
lacrymis, quasi depositus, suprema lamentatione, deploratus fuit, uti rem in-  
solitam memoriae prodiderunt STRAD. c. l. p. 12, et ex eo BECMAN.  
in cit. hist. orb. terr. p. 453, et in c. synt. p. 856, uberius autem LETI c. l. p.  
370, sqq.
- (21) Nimirum, facta sic uicinae morti prolusione, altero ab exequiis die, febrili  
acuta, ex continuis morbi articularis doloribus orta, correptus, postquam, in  
solo Christo omnem salutis suae spem se collocare, declarauerat, et, sacra iterum  
eucharistia, Seruatoris ordinationi conuenienter, sumta, haec protulerat uerba,  
In me mane, dulcissime Seruator, ut ego in te maneam, placide obiit, die uide-  
licet XXI Septemb. MDLVIII, cum uixisset annos LVIII, menses VI, dies XXV,  
regna uero hereditaria annos XL, imperium XXXVI, tenuisset, prout hanc  
mortem honorificentissime commemorant THUAN. in lib. XIV, ad A. MDLVIII,  
p. 567, SANDOVAL c. l. p. 326, LETI c. l. p. 375, sqq. GRAMOND. lib. IV  
hist. Gall. p. 262, CHYTRAEUS lib. XIX, p. 501, sqq. aliique plures. Quae qui-  
dem moriendi ratio, cum aliis coniuncta documentis, occasionem dedit credendi,  
Carolus uerioris doctrinae Euangelicae conuictum fuisse. Eamque ob causam  
celeberrimus etiam Theologus, IO. FRID. MATER. dissertationem scripsit de  
morte Caroli V Euangelica, Lips. MDCLXXXII. Quae prodigia hanc mortem  
praedixisse perhibeantur, uid. in STRAD. c. l. p. 13, et LETI c. l. p. 385.
- (22) Felicitatem hanc, inter alios, praedicat PASTOR. ab HIRTENBERG in Flor.  
Polon. lib. VII, p. 527, ubi scribit, Interea Christina sceptrum auitum, et, post  
ingentia ditionum accrementa, opima etiam pace felix, consobrino suo, Carolo  
Gustauo, Princiipi Bipontino, sponte tradidit, seu, ut animam, supra scepra  
eminet-



- eminentem, offenderet, seu, quod maiorem ad diuinæ sapientiae studia libertatem uestigaret. Europa, nondum in aperto extantibus, quae magnam principem agitauere, stimulationibus, magnopere admirata est coeptum, seculo inauditum, nec antehac, nisi paucissimis, et fere talibus, usurpatum, quibus fessae aetatis et molesti regiminis fastidia fecerant desiderium quietis. Ista Princeps, in ipso et aetatis et fortunae flore, magnitudine se sua exiit. Quod ipsa quoque regina agnouit, dum gloriose se defunctam imperio, dixit, apud PUFENDORE. in cit. comment. de R. S. lib. XXIII, §. V, f. 977. Quid autem in illa culpatum fuerit, uide apud eundem, in lib. XXVI, §. ult. f. 1044.
- (23) Tum patriae quidem amore, ut Regia eidem progenies relinquī posset, tum fortunae instabilis, quae ad extremum, uelut delassata, mortales destituere solear, consideratione, tum denique imperandi taedio, permota dicitur regina, ut coronam deponere, atque adeo, extra fortunae arbitrium subducta, sublimioris sapientiae meditationi uacare, constituerit, narrante PUFENDORE. c. I, lib. XXVI, §. XVIII, f. 1039. Varia tamen iudicia de causis huius abdicacionis ideo lata fuisse, quod ipsa Regina paucis tantum sese aperuerit, recte animaduertit BECMAN. in cit. hist. orb. terr. part. II, cap. VI, § VII, p. 636.
- (24) Abdicationis, d. VI Ian. MDCLIV, factae, solennia commemorant PUFENDORE. c. I. §. XXXI, f. 1043, et auctor THEATR. EUROP. tom. VII, f. 638, ex quo descripta extant apud BECMAN. in c. synt. f. 831. Orationem, a Regina habitam, exhibet THOM. CREN. in part. IV animaduers. histor. et philol. f. 51, sqq.
- (25) Haec facta est Oeniponte, ubi Reginam, more solito, ab Alexandro VII, Papa, Alexandriae nomen assumisse, refert BECMAN. in c. hist. orb. terr. p. 637. Unde mutandae religionis desiderium abdicandi causam ei dedisse, multi probabiliter collegerunt, prout ex Thulden. memorat idem BECMAN. in c. synt. cap. I. p. 829 et 830.
- (26) De his etiam prodiit libellus, Belgice scriptus, Keyse van Hare Doorluchtige Maesteyt, Christina, Koniginne van Sweden, t<sup>o</sup> Amsterdam 1661, in 12.
- (27) Nimirum anno MDCLXXXIX, aetatis LXIII, uid. THVLDEN. hist. Europ. enead. II, lib. III, p. 385. conf. das Leben der K. Christina v. Schweden, Leipz. 1705.
- (28) Legi hic potest PASTOR. ab HIRTENBERG in cit. Flor. Polon. lib. VI, p. 492, sqq. ubi partem eius historiae describit, et in orat. de Calend. Reg. ibi annexa. Quare Senatores Poloniae non maximis tantum querelis abdicacionem deprecabantur, sed summo etiam moerore secessum lugebant, prout Acta abdicacionis, d. XXVI Sept. MDCLXVIII factae, ostendunt apud NICOL. CHWALKOWSKY in Iur. publ. Polon. lib. I, cap. III, §. IV, fol. 7, sqq. quae ex eo descripta exhibet BECMAN. in c. synt. p. 834.
- (29) Salutis aeternae curam, fessaeque ualetudinis rationem, non regnandi fastidium, huius abdicacionis fuisse causas, ipse Rex, in comitiis, ea de causa habitis, declarauit, prout ex Actis, iam citatis, apparet apud BECMAN. c. I. p. 836. conf.



conf. HARTKNOCH. in lib. II, de rep. Pol. cap. I, §. V, et PUFENDORF. in lib. X rer. Brandenb. §. LXXIII, f. 708. Literas, quibus Pontifex, Clemens IX, abdicationem diffusit, atque orationem, a Rege habitam, Germanice uersas, exhibet FRITSCH. in c. supra tr. de resign. f. 66.

(30) In Gallia uidelicet, ubi, elapso quadriennio, nempe d. XVI Decembr. MDCLXXII, Niuerniae obiit, narrante BECMAN. c. 1. p. 841, et in hist. orb. terr. part. II, cap. VIII, §. II, p. 682. conf. Schroeder. in spec. tr. de hac abdicatione scripto, quem commemorat KNICHEN in c. op. pol. f. 427.

(31) Quippe Cardinales, simplicitatem eius grauiter ferentes, maximo ipsi opere persuaserunt, Pontificatum, cui gerendo minus par esset, salutis causa, deponi oportere. Subornarunt quoque hominem, qui noctu, uoce clandestina, per canaliculum in aurem ipsius immissa, eum, quasi diuinitus, sic admonebat, Caelestine, dimitte Papatum, si uis saluus fieri, negotium supra uires est. Proinde, ab angelo se compellatum, ratus, a Pontificatu decessit, uid. PLATIN. de uit. P. R. n. CXICIX, p. 244, ALPHONS. CIACON. in uit. et reb. gest. Pontif. Rom. ad A. MCCXCV, IO. BALEI Act. Roman. Pontif. lib. VI, p. 331, PHILIPP. MORN. in myster. iniquit. p. 388, et Hispanus anonym. in tr. del Papa y de su autoridad, p. 117.

(32) Quae talis fuit perhibetur, Ego Caelestinus, Papa V, motus ex legitimis causis, id est, causa humilitatis, et melioris uitae et conscientiae illaefae, debilitate corporis, defectu scientiae, et malignitate plebis, et infirmitate personae, et, ut praeritiae uitae possim reparare quietem, sponte ac libere cedo Papatu, et expresse renuntio loco et dignitati, oneri et honori, dans plenam et liberam facultatem ex nunc sacro coeui Cardinalium eligendi et prouidendi, duntaxat canonice, uniuersae ecclesiae de pastore, uid. scriptores iam cit. Alios praeterea Pontifices, sic ueluti Marcellinum et Clementem, Pontificatu se abdicasse, meminit FRITSCH. in c. tr. f. 79, ubi, Marcellinum, inter resignandum, dixisse, Peccaui, et non possum in ordine sacerdotum manere, ex Henr. Zoes. ad rit. de renunt. n. III, refert. Quod dictum si omnes Papae peccatores pendere uoluissent, quotusquisque sacerdotium, salua conscientia, retinere potuisset, uti cordare monet cit. Hispanus p. 127.

(33) Alia quippe exempla recensent OBRECHT. in c. diss. p. 232, SCHURZFLEISCH. in c. pariter d. p. 9, THUAN. c. 1. p. 262, LETI c. 1. p. 276, BECMAN. in c. synr. p. 827, THOLOSAN. lib. XXVI, de rep. cap. I. et alii plures. IO. CHRISTIAN. WEBERVM, Scholae Northusanae Rectorem, aliquot etiam programmata, de exemplis extantioribus regni, uel imperii, abdicari, Northusae emisse, memorat doctissimus auctor Relation. Hamburg. de scriptis eruditis huius anni, num. L, p. 417.

§. V.

Conditionem Principis, qui imperio se abdicauit, non publicam esse, sed priuatam, uel ex eo apparet, quod illi ipsi Principes,

*Conditio  
est priuata,  
eaque  
naturalis.*



cipes, qui summi magistratus personam deposuerunt, priuatos se esse factos, siue ad priuatam sese uitam recepisse, agnouerunt. (1) Vt autem, qualis demum sit priuata eiusmodi conditio, publicae opposita, planius intelligatur, uariam utriusque nominis usurpationem exponamus, necesse est. Publica quidem persona, habito ad uitam ciuilem respectu, primum illis tribuitur, qui summum certae ciuitatis imperium, procurandae conseruandaeque salutis communis causa, tenent, eoque nomine totam illam ciuitatem, quae respublica, eximio in sensu, uocatur, in rebus, ad istam pertinentibus finem, repraesentant, (2) unde etiam, quicquid ad communem talis societatis statum, siue ad uniuersam populi, ea comprehensi, rationem, siue ad certam in illa communitatem, spectat, publicum uocari consueuit. (3) Deinde illis quoque assignatur persona publica, qui summae quidem potestati, penes quemcunque ea fuerit, sunt subiecti, talia tamen munera sustinent, quae ad rectam reipublicae gubernationem requiruntur. Quo quidem sensu consiliarii et administri, itemque magistratus inferiores, publica obire munera dicuntur, seu ea praestare officia, unde commoda ad singulos uniuersosque, remque eorum, perueniunt. (4) Denique in eminentiore prorsus appellatione, eaque hodie recepta, legati ideo dicuntur ministri publici, quia a Principe certo, certae Republica, ad externos mittuntur, ut apud eos, sub tutela Iuris Gentium, utpote publici, populisque omnibus communis, certa mandata exequantur. (5) Priuatus autem, a priuo denominatus, (6) in uulgari proprioque sensu, ille dicitur, qui, nullo publico munere fungens, seorsum agit, siue, nullo publicae dignitatis negotio implicatus, suae duntaxat domi, seu familiae, rem procurat. (7) Qualis cum duplici potissimum respectu considerari possit, uno ad statum ciuilem, altero ad statum naturalem, habito, duo etiam conditionis priuatae genera hinc existunt. Primum pertinet ad homines, qui, in certa societate ciuili, certo imperio sunt subiecti, eamque ob causam subditi dicuntur, aut ciues, quo quidem re-

C

spectu



spectu omnes, in certa consociati republica, sunt priuati, partim in tradito iam sensu proprio, quatenus nullum munus publicum sustinent, partim, in sensu minus proprio, prout, in aliquo etiam honorum gradu collocati, a Principe, seu imperante, qui solus personam excellenter publicam gerit, hoc nomine distinguuntur. (8) Alterum conditionis priuatae genus iis tribuendum est, qui nulli imperio civili, adeoque nullis legibus humanis, sunt subiecti, sed, in naturali uiuentis libertate, soli Deo, utpote summo orbis terrarum domino, parent, eiusdemque uoluntati, prout eam habent perspectam, in actionibus suis obsequuntur. (9) Ex hactenus dictis facile patet, Principis, qui imperio se abdicauit, conditionem, uti iam indicauimus, minime esse publicam, sed omnino priuatam. Utrius autem generis priuata haec conditio sit, nunc disquiri oportet. Ad posterius omnino genus eam referimus, adeoque Principem, simul ac, tradito alteri imperio, regnantis personam exuerit, in talem peruenire conditionem, statuimus, ut, ab humana ditione ac potestate seclusus, naturalem teneat libertatem, nec, nisi Deo, actionum suarum rationem reddere debeat, quamdiu naturae ac gentium iura, communi humanitati conuenienter congruenterque, obseruet.

- (1) Quippe nominatus supra Ptolomaeus Lagi, seu Magnus, postquam filio, natu minimo, regnum publice tradiderat, eidem, ut regi, priuatus officium inter satellites fecit, omnique regno pulchrius regis esse patrem, duxit, narrante IUSTINO in c. supra lib. XVI histor. cap. II. Similiter Iulianus, Imperator, in graui ad milites indignantes oratione, imperii dimissionem comminaturus, Ego solus, ait, ut imperatorem decet, confecto tantorum munerum cursu, moriar stando, contenturus animam, quam mihi febricula eripiet una. Aut certe discedam. Neque enim ita uixi, ut non possim esse aliquando priuatus, apud AMMIAN. MARCELLIN. lib. XXIV, cap IX, in cit. supra scriptor. hist. aug. f. 589. Agnouit hoc etiam laudatus supra Poloniarum Rex, Casimirus, utpote qui, in suprema oratione, ad Proceres regni habita, haec inter alia protulit uerba, Ego coronam patriae carissimae, reiue publicae, ut pater et filius, nunc reddo, eiusque amore, ex duce suo gregarius, ex imperante parens, ex rege conciuis, uid BECMAN. ia c. synt. p. 837. Quapropter, cum Senatores alique uiri primarii, quos officiales uocant, eum, relicto solio, abeuntem, comitari uellent, ipse, ueluti ex fortuna regia iam descendens in mores uitamque priuati, reuuit, hunc sibi honorem exhi-



exhiberi, quem nibilo minus, omni cum observantia, praestiterunt, ut idem commemorat BECMAN. c. l. p. 841. Quid quod supra in medium pariter prolatus Sardiniae Rex, Victor Amadeus II, cum, tradita filio corona, Camberium peruenisset, Magistratui, felicem ipsi adventum gratulanti, dixit, id tantum se uelle, ut inter ciues ibi reciperetur. Als er nach Chambery gekommen, und vom dasigen Magistrat vvegen seiner glücklichen Ankunft complimentiret vvard, sagte er zu demselben, Ihr Herren, ich komme ener Bürger zu vverden, vvollet ihr mich vwohl annehmen, ita hoc narratur in c. supra diar. Europ. Fam. part. CCCXXXIV, p. 816, et in c. pariter Archivar. Genealog. part. IV, p. 367.

- (2) Distincte hoc proposuit PRAESES in synops. p. 659, pos. 9, et pag. 666, pos. 90.
- (3) Publicae quidem res olim dicebantur, quae populi Romani erant, differebantque tum a bonis ciuitatum municipalium, quae magis ad res uniuersitatis referebantur, tum a bonis fiscalibus, quae Principis propria erant. Unde locus fiscalis, publicus, et ciuitatum distinguuntur in §. XXXIX, I. de R. D. Licet enim summa rerum ad Principes esset delata, rudera tamen plura status popularis pristini relicta sunt, ut quaedam adhuc populi, seu publica, more antiquo, quaedam Principis, dicerentur, quae tamen paulatim omnia ad ius Principis relata sunt, deleto omni status Romani uestigio. Proinde, quae olim populi R. dicebantur, hodie Principis sunt, uid. Illustr. BOEHMER. in annot. ad §. II, I. de R. D. p. 140. Itaque publicae quidem res discernebantur a communibus, et proprietate, et usu, quoniam illae ad rempublicam pertinere, et iis tantum, qui de republica sunt, ad utendum patere, haec autem nullius, adeoque communi usui, esse censebantur. At tamen res publicae et communes, in latiore sensu usurpatae, inter se conueniunt. Sic quaedam dicuntur communia omnium hominum, quaedam Romano tantum populo, hodieque cuiuslibet certae reipublicae populo, quaedam ciuitatum. Illa κατ' ἐξοχήν communia, ista publica, haec uniuersitatis, dicuntur, uid. BOEHMER. c. l. p. 141.
- (4) Ita munus publicum describit POMPONIIUS in l. 239, §. 4, D. de V. S.
- (5) Legi hic potest personatus scriptor, IUSTIN. PRESBEUTA, siue, uero nomine, Henr. Henniges, minister ac legatus Brandenburgicus, in discurs. de Iure legar. Stat. Imperii, §. XLIV, p. 65, ubi, Proprie, ait, is non est minister publicus, qui Principi suo, aut ciuitati seruit, consiliis atque opere, domi militiaeque, sed qui publico nomine, apud alias gentes, res domini sui agit, sub iuris gentium praesidio. Publicum igitur non opponitur priuato, sed sensu eminentiori, et, respectu ad Ius Gentium habito, aliquid significat, quod dereliquis Principis ministris non solitum est praedicari. Itaque legati non ideo demum ministri publici dicuntur, quod publico nomine mittantur, ut alii putant, uid. IO. GEORG. KULPIS. in dissert. de legat. Stat. Imp. cap. l. §. IV, p. 453, dissertat. eius academ. sed, quia, publici Gentium Iuris praesidio texti, apud externos agunt. Hoc respectu, ac Cardinales quidem ministri, seu protectores, Romae, nedum consulari



liarii Principum, ministri publici uocari possunt, ut, praeter PRESBEUT. c. I. p. 67, recte existimant FRANC. ALB. PELZHOFFER. in lib. IV, Arcan. Stat. cap. I, p. 3, et WICQUEFORT in tr. Gall. de l' Ambassadeur et de ses fonctions livr. I, sect. I, f. 5.

- (6) Priuos priuasque dixerunt antiqui pro singulis, aut propriis, unde et priuata dicuntur, quae unius cuiusque sunt propria, et quasi communitatis iure priuata et excepta, ita, ut quisque iis, ut suis, uti possit, modo ne illis abutatur, praefertim in reipublicae detrimentum, uid. AUL. GELL. lib. X, N. A. cap. XX, et CHRISTIAN. BECMAN. de orig. L. L. p. 877.
- (7) Priuatus etiam dicitur, qui nullam partem curamue reipublicae attingit, sed totum se ad quietem confert, priuata modo officia obiens, ac publicorum munerum expers, secundum SVETON. in uit. Tiber. cap. XII, et XV.
- (8) Posterior haec priuati acceptio dici potest specialis, aut, nomine philosophico, respectiua, quemadmodum prior est generalis et absoluta. Hinc colligi potest, in quo sensu id intelligi debeat, quod PLIN. in lib. II, ep. I, de Virginio Rufo scripsit, Perfunctus est, ait, tertio consulatu, ut summum fastigium priuati hominis impleret, cum Principis noluisset. Nimirum hic Plinio is dicitur priuatus, qui non Princeps est, aut Imperator, sed aliud sustinet munus, ueluti consulatum. Namque, mutata Romanorum reipublica, et introducto Principatu, Imperator maxime persona publica habebatur, reliqui, etiam consules et duces, dicebantur priuati, atque adeo Principi opponebatur priuatus, qualiscunque fuerit. Quo sensu etiam TACIT. de Agricola, qui tamen Britanniam, legati imperio, obtinebat, in uita eius, cap. XXXIX, n. 3, scribit, id sibi maxime formidolosum, priuati hominis nomen supra Principis attolli, conf. hic BARNAB. BRISSON. in lib. XIV, de uerb. signif. f. 1667.
- (9) In tali etiam statu ipsi Principes habentur, quando in eis uersantur actionibus, quae directe ad rempublicam non pertinent, neque ex summa pendent potestate, seu maiestate, sed merae sunt facultatis, ueluti emere, mutuo dare pecuniam, aliumue contraatum inire, Principem externum inuisere, e. s. Quo quidem sensu id intelligi potest, quod uulgo dicitur, In contractibus Principem spectari, ut priuatum, h. e. ad ea, quae leges naturales, siue absolutae, siue hypotheticae, postulant, obseruanda esse obstrictum, uid. hic HUG. GROT. in lib. II, de I. B. et P. cap. XIV, §. II, n. 2. conf. IO. FRANC. BUDDI disert. de Principe, legibus humanis, sed non diuinis, soluto, hab. Halae 1695, citat. in PRAESID. syn. p. 68c, pos. 128.

§. VI.

Quare, Principem, qui imperio se abdicauit, in conditione priuata, eaque naturali, siue naturalem complexa libertatem, uiuere, arbitremur, non unam profecto causam habemus. Pri-  
mum

*Probat  
r  
alis  
con-  
ditio.*



mum constituendi subeundique imperii ratio occurrit, quae, si paternam in liberos potestatem, ab ipsa quippe natura concessam, (1) excipias, non, nisi pacto, siue expresso, siue tacito, nititur, qualiscunque eius causa, aut occasio, ceteroquin subsuerit. (2) Expressus quidem consensus hominum, certo sese imperio subiicientium, eo plerumque sacramento declarari solet, quod iusfurandum, seu iuramentum fidelitatis, et, barbaro etiam nomine, homagium, nuncupatur. (3) Tacita autem obligatio tum utique existit, si tales in aliqua ciuitate homines agere, certisque iuribus ac privilegiis frui, instituunt, quibus conditio sua non alium, nisi ciuis, ex ciuitate ista pendentis, locum capessere permittit. Sed tantum abest, ut Principes, postquam de publica imperii statione decesserunt, ullo se pacto, siue expresso, siue tacito, ad parendum obstringant, ut illustrem, quam usque retinent, dignitatem naturali libertate rueantur. Itaque nunc ostendi oportet, non pati existimationem politicam, (4) ut Princeps talis, tacita quadam uoluntate, alterius Principis potestati se subiecisse censeatur. Nimirum praerogatiua, quam Princeps, siue ob maximam generis nobilitatem, siue ob summam, qua praeditus fuit, dignitatem, habet, ea utique est, quae ciuilem hominis priuati, atque alieno subiecti imperio, conditionem neutiquam admittit. Nam, quaeso, naturali rationi foret consentaneum, si ille, qui siue a parentibus, principalem, uirtute rerumque praeclare gestarum gloria, dignitatem adeptis, ortum duceret, siue suis omnino meritis ad eximiam inter mortales nobilitatem peruenerit, non aliam, nisi communem hominis priuati, sortem haberet. (5) Nonne Regio, aut Principali, nomini macula quaedam et labe adaspergeretur, si cum libera, iustisque ex causis facta, imperii resignatione omnis pristinae dignitatis amissio esset coniuncta. Nae ille iniquus rerum aestimator esset, qui, quos diuina quaedam prouidentia e communi mortalium censu eximere uoluit, eos, facto nequaquam noxio, ad uulgarem popularemque conditionem delabi, arbitraretur. Tam excelsa tamque ueneranda



randa est Principis persona, ut, summo etiam fastigio, quod in republica tenuerat, relicto, singularem aliquam dignationem retinere, eoque nomine ceteris praestare ciuibus, merito iudicetur. Quo fieri solet, ut Principi, qui publicum rectoris munus deposuit, singularis ubique cultus tribuatur. (6) Regiae Maiestatibus, aut Celsitudinis, itemque Ducalis, aut Principalis Serenitatis, titulus ipsi relinquatur, (7) honoratior conceditur locus, (8) publicae pro eo supplicationes fiunt, (9) et solita sub noui anni auspiciis uota nuncupantur. (10) Ad pristinae etiam fortunae dignitatisque reliquias, quodammodo conseruandas, Principes, qui publicos imperii honores missos faciunt, certam pecuniae summam, statusue redditus stipulantur. Carolus V quidem, ut supra diximus, centum aureorum millia semel accepit, Christina autem, Regina Sueciae, ducenta millia imperialium sibi assignari, uoluit, (11) et Casimirus, Poloniarum Rex, trecenta fere millia florenorum, ex uariis regni, et prouinciarum, eo comprehensarum, prouentibus sibi reseruauit. (12) Nostra itidem aetate duo Principes, supra nominati, suis hoc modo rationibus consuluerunt, uidelicet Philippus V, Hispaniarum Rex, etiam nunc uiuus, qui, antequam filio, breui post mortuo, regnum traderet, praeter sexcenta millia nummorum, quos Hispani pesos uocant, arcem Ildefonsiae cum siluestri Balsaini fundo retinuit, (13) et Victor Amadeus, primus Sardiniae Rex, qui, etsi congestis quatuor myriadibus nummorum plurimisque gemmis iam locupletatus, ducentis et quinquaginta millibus imperialium, annui redditus loco, constitutis, sibi suisque prospexit. (14) Quid quod nonnulli plenam sibi libertatem, expressa inter abdicandum pacto, simul exceperunt, quemadmodum commemoratam modo Christinam sibi cauisse, memoriae est proditum. (15) Itaque priuatus est Princeps, qui sua sponte summum deposuit magistratum, sed ultra meram priuati sortem, seu talis, qui, in naturali uiuens statu, nec ulli subiectus imperio, illustrem, distinctamque a populari ciuium ratione, conditionem sustinet, prout intelligenti-



**gentiores rerum politicarum doctores hanc subinde sententiam confirmarunt. (16)**

- (1) Praesumptio quidem consensu, adeoque tacito quodam pacto, parentum in liberos imperium niti, putat PUFENDORF. in lib. VI, de I. N. iet G. cap. II, §. IV, sed, praeterquam quod uir illustris consensum praesumptum cum tacito, perperam confundit, neuter hic locum inuenit, uid. PRAESID. syn. p. 462. pos. 25.
- (2) Nimirum causa, aut occasio, constituendi imperii a modo pariter atque a fine distingui debet, uid. c. PRAESID. syn. p. 662, pos. 40, et p. 664, pos. 65, sqq.
- (3) Sacramentum tale, quod homagium unlgō dicitur, satis explicauit PRAES. in c. syn. p. 681, pos. 142, sqq.
- (4) Existimatio politica dicitur, quae externam quandam praerogatiuam, ex dignitate ciuili prouenientem, complectitur, adeoque ab ethica differt, quae honestate uirtutisue moralis laude nititur, uid. hic PUFENDORF. in lib. VIII, c. I. N. et G. cap. IV, §. XXIII, eiusdemque commentatio de existimatione, in disertat. ipsius academic. sel. p. 167.
- (5) Gentes, quae bellis gerendis et sapientia colenda ceteris praeslitterunt, nobilitatem, tam generis, quam uirtutis, sibi suisque primo asseruerunt. Itaque, ubi heroes extitere, atque insignes uirtute et sapientia uiri, illi a ciuibus suis, Deorum instar, habiti, et ipsorum liberi etiam cari honoratique fuerunt, eoque magis, quod hoc generi hominum prope a natura sit darum, ut, qua in familia laus antiqua floruerit, hanc fere, qui sunt eius stirpis, cupidissime persequantur, ut ait CICERO in orat. pro Rabirio. conf. eius orat. pro Sextio. Relinquitur hinc, Principes, maxima ornatos nobilitate, eo illustriore semper conditione haberi oportere, quo ampliora in alios homines merita nobilitatis eiusmodi causam extitisse, credendum est. Quapropter nobilitas, cum omnis, tum praecipue maior, non ciuili tantum, sed gentium quoque iure, adeoque communi et immutabili, aestimari debet, uid. hic KNICHEN. in c. op. pol. lib. II, part. II, cap. V, f. 878.
- (6) Legi hic potest SAM. FRID. WILLENBERGII dissertatio Iur. Gent. de ueneratione erga Principem, post abdicatum imperium, hab. Gedani MDCCXXXIII.
- (7) Carolum V, facta abdicatione, tituli axioma retinuisse, non aliter, quam ut quidam pristini splendoris radii relinqui soleant post solem, scribit OBRECHT. in c. supra diff. p. 248. Similiter Christinae ac Casimiro, postquam ab imperio abierunt, titulus Regius est tributus, prout commemorat GERH. FELTMANN. in lib. I, de tit. honor. cap. LXXXIV, §. VI, p. 435. Quod quidem hoc aequius censeri debet, quia, depositis etiam Principibus aliquod pristinae dignitatis ornamentum relinqui, constat. Sic Io. Friderico, pio Saxonum Electori, postquam, praehio infeliciter commisso, ex Imperatoris uoluntate, Septemuiralem dignitatem Augusto cesserat, in transactione, cum hoc facta, permissum est, ut tam in obsequandis literis, quam in cudenda moneta, ad dies uitae, titulo Electoris nati, gebohr-



gebobrnem Churfürsten, uteretur, id quod, ex multis scriptoribus, refert PEEF-  
FINGER. in c. supra annot. ad Vitriar. Infit. I. P. lib. I, cap. V, p. 736. An re-  
giis autem summive imperii insignibus uti liceat Principi, priuatam ingresso  
uitam, ideo Dd. ambigunt, quia tituli quidem ad celebrandum illustre genus  
adhiberi possint, insignia uero ad asserendum imperii ius pertineant, uid. WIL-  
LENB. in c. disert. p. 28, ubi pariter disquirat, Num talis Princeps formulam,  
Dei gratia, nomini suo adiungere possit. De sablimi hoc Principum titulo dif-  
fertationem scripsit FRID. GEISLER. Lips. 1677, recuf. ibid. 1722.

(8) Christinam non solum in Sixti facello, sed alibi quoque, peculiarem, eumque  
honoratiorem, locum occupasse, in proprio item conclau, cum uisitaretur a Car-  
dinalibus, primum tenuisse locum, sellam pariter, ex pretiosiore confectam  
materia, habuisse, quam illae fuerint, quibus Cardinales sint uli, ex Moltkenio  
commemoratae IAC. ANDR. CRUSIUS in tr. de praecin. lib. II, cap. III, n. XII,  
p. 188.

(9) Certam precatonis formulam, pro priuato etiam Principe, ab eo praescribi,  
qui ius precum publicarum habet, eo aequius censi debet, quod Princeps, suc-  
cessor, suam, quam gerit, purpuram alteri acceptam refert, uid. WILLENB.  
c. I. p. 32. conf. Illustr. BOEHMER. diss. de iure prec. public. hab. Halae 1705, et  
de iure episcop. Princip. Euangel. ibid. 1719. Iudicium de praescriptis a superiore  
precibus habet BRUNNEMANN. in lib. I. Iur. Eccles. cap. VI, membr. VI,  
p. 163.

(10) Vid. hic pariter WILLENB. c. I. conf. WILDVOGEL. in Chronoscopia legali,  
I. de iur. fector. diss. I, de eo, quod iustum est circa nouum annum, cap. II. §. V.  
An sacri autem ordinis homines, in publicis precibus ac uotis, praeponi de-  
beant politicis, in utramque partem disputari solet, de quo uid. BOEHMER. in  
c. diss. de iur. prec. publ. et PUFENDORF. in c. supra diss. de existim. §.  
XXVII.

(11) Quomodo reginae ducenta uncialium millia annua, oppigneratis ipsi hoc no-  
mine insulis Oelandiae, Gotlandiae et Oesaliae, cum oppido et arce Norcopensi,  
ac VVolgasto, et bonis mensalibus in Pomerania, simul Poela et Neucloster in  
Mecklenburgica, fuerint assignata, uid. apud PUFENDORF. in c. lib. XXVI,  
de R. S. §. XXI, f. 1030, et §. XXVIII, f. 1042. conf. BECMAN. in c. synt.  
p. 830.

(12) Eam ob causam Rex in orat. ad Proceres habita, his uerbis est usus, Sicut in hoc  
toto negotio nemo de caritate mea erga hanc Remp. dubitare potest, ita et ego  
uicissim fidenter de Dominationum uestrarum amore mihi polliceor, fore, ut pro  
substantia mea, statu meo, atque honore Reip. condigna, reseruat per me a  
supra dicta abdicatione, eiusque pronuntiatione exceptos, reditus, hoc est, oeco-  
nomiam integram Mariburgensem... per pacta conuenta caueatis, uid. BEC-  
MAN. in c. synt. p. 839.

(13) VVaeh-



- (13) VVachrenden dieser Differentien, trat König Philipp auf dem Schlosse Ildefonse den 5 Jenner 1724 die Regierung Printz Ludvvig von Asturien ab, mit blosser Vorbehalt ged. Schloßes und des VValdes von Balsain nebst 600000 Stück vom Achten, und jährliche 150000 Ducaten für jeden Infanten, ita rem narrat BVRC. GOTTH. STRVV. im Kurtzen Begriff der Vniversal Historie, XIV Abtheil. §. XXIV, p. 475.
- (14) Der König Victor Amadeus hat sich, nach seiner Abdication, nach Chambery begeben, und sich 150000 PF. oder 250000 Thaler, vorbehalten, auch am Gelde 4 Millionen vverth, und eine grosse Anzahl Edelgesteine nach Chambery gebracht, sic commemoratur in c. Diar. Europ. Fam. part 334, p. 826.
- (15) Regina, se omni quidem suo iure ad Coronam Sueciae cedere, idemque in Carolum Gustauum transferre, dixit, his tamen legibus, ut ab omni subiunctione et obsequio libera sit, ac soli Deo teneatur rationem reddere de actionibus suis, tam prioribus, quam post abdicationem futuris, utque adeo omni iure, liberate, ac independentia gaudeat, per natales sibi competente, nec respondere necessum habeat de quopiam, quod neque Regis, neque patriae, salutem spectet, quod ita memoriae prodidit PVFENDORF. c. l. §. XXVIII, f. 1042. Quapropter Carolus Gustaus scripto eidem cavuit, se ipsi libenter libertatem ac immunitatem, quam sibi stipulata fuerit, relicturum, nec eidem quid imperare ausurum, aut in actiones ipsius inquisiturum, aut ullo modo eandem turbaturum, quamdiu sibi ac Regno per istas nihil praecudicium inferatur, tum assignatas ipsi terras ac reditus conservaturum, una cum conditionibus, quae ipsius securitatem spectent, nec concessurum, ut ipsi molestiae quid inferatur, quin operam daturum, ut eidem debita veneratione, tranquillitas, et securitas constet, commemorante eodem PVFENDORF. c. l. §. XXX. f. 1043. Sed tantum abfuit, ut Christina in solo Sueciae regno talem sibi libertatem asserere, suisque Principis Regiae rationibus prospicere, sat haberet, ut, apud externas quoque gentes, illustrem, quam retinuit, conditionem omnibus modis tueri studeret. Quo factum, ut, cum Monaldeschium, stabuli sui magistrum, ob prodita nefarie arcana, in Galliae regis arce, quae Fontis Bellaquei nomen habet, capitis damnasset, et confestim, per delectos ad hanc carnificinam homines, trucidari iussisset, illis, qui iniuriose hoc in regem, arcis dominum, fieri, aiebant, nihil verita, responderet, reginam se esse, eoque nomine liberam de suis statuendi potestatem habere. Post habitum quidem regiae domus honorem, adeoque in facinus inquirendum esse, nonnulli ex Gallis contenderunt, sed iniussit Rex Christinam, eamque, aliquot dies Lutetiae commoratum, honorifice dimisit, ratus sine dubio, esse adhuc in regina, relicto etiam solio, eminentiorem priuata fortunam, quae eandem usque comitaretur. An regina, homini misero, artemque tacendi Quidianam minus edocto, tantam imponendo poenam, iuste egerit, nec ne, alio fortassis tempore disquiremus. Nunc aliquot tantum scriptores addereliceat, qui factum hoc varie, pro suo quisque iudicio, recensuerunt, veluti PRIOL. in lib. IX, de reb. Gall. §. XIV, p. 330, TESMAR. in Tribunal. Princip. peregrin. p. 25, anonym. dans l'histoire de la vie de la



Reine Christine de Suede, avec un veritable recit du séjour de la Reine à Rome, et la défense du Marquis Monaldeschi contre la Reine de Suede, à Stocholm MDC LXXVII, 12.

(16) Qui imperio se abdicat, privatus est, sed ultra meram privati conditionem. Veteris uestigia sanctitatis, et priorum memoria beneficiorum hoc exigunt, hoc iubent. Potestas sacrosancta affuit. Honor etiamnum debetur, ita sentit C. S. SCHVRZFLEISCH. in c. supra dist. §. III, p. 5. Eandem plane sententiam habet IO. ADAM. OSIANDER, inter potestatem, seu imperium, et auctoritatem, seu splendorem et dignitatem, distinguens, in annot. ad Hug. Grot. lib. I, de I. B. et P. cap. IV, §. IX, p. 562.

§. VII.

*Argumen-  
ta contra-  
ria.*

Quemadmodum vero nulla sententia tam certa, tamque probata, afferri potest, quae non contrariis hinc, aut illinc, argumentis oppugnetur, ita nonnulli etiam hic discrepantes nobis occurrere videntur. Putant nimirum, Principem, simulac suo se imperio abdicauerit, in talem devenire conditionem, ut illius, in qua domicilium habeat, regionis Principi fiat subiectus, eiusdemque voluntati obedire debeat, adeoque id omne in se admittere, quod in privato liceat, uti Hugo Grotius, et plerique eiusdem interpretis, arbitrentur. (1) Hanc opinionem confirmaturi, ad rei publicae societatisque civilis rationem prouocant, quae non permittat, ut alius in ea sit, nisi qui uel imperantis, uel parentis, loco habeatur. Cum autem Princeps, summa exutus potestate, regnantis personam haud teneat, eum inter adstrictos ad obsequium ciues referri oportere, concludunt. Proinde peregrinos etiam, in certa agentibus ciuitate, quamdiu ibi commorentur, pro ciuibus, aliquem habentibus superiorem, reputari, aiunt, quoniam, quicumque communi alicuius loci securitate frui, iuriumque popularium particeps fieri, cupiat, is quoque legibus, ibi receptis, se subiicere, constitutumque adeo magistratum reuereri, necesse habeat. Quod quidem eo etiam pertinere, dicunt, ut, si quis, externa in ciuitate, facinus aliquod perpetrauerit, aut nefarie quicquam fuerit molitus, non secus, ac popularis, sancita inibi poena afficiatur. Eaque de causa Mariam, profugam Scotiae reginam, cum perniciose aduersus Elisabetham consilia cepisset, iusto in Anglia supplicio perisse, con-



contendunt. (2) Nec mirum hoc esse, instant, siquidem ipsa Principis regnantis coniux, cum omni sobole, in potestate ipsius ac ditione teneatur. (3) Quod autem ad nudos attineat titulos et honores, qui Principi privato tribui interdum soleant, eos, utpote obligatione minus perfecta subnixos, atque adeo ex mera profectos humanitate, ad libertatem illius, inde demonstrandam, ali- quod asferre momentum, plane inficiantur. Denique, instar omnis facile probationis esse, existimant, iudicium illud, quod ipsi Principes, qui summo abierunt magistratu, de sua, quae abdicationem secutura sit, conditione tulerint, quippe cum, maxima ex parte, saltem superius a nobis commemorati, ad populares se ciues aggregatum iri, sint professi. Haec fere sunt argumenta, quae in contrariam hic partem offeruntur.

(1) Si rex, aut alius quis, imperium abdicavit, aut manifeste habet pro derelicto, in eum, post id tempus, omnia licent, quae in privatum, ita scribit GROT. in lib. I. de I. B. et P. cap. IV, §. IX. Huic quodammodo assentitur IO. TESMAR. in nor. ad h. l. f. 173, omnino autem hanc sententiam, contra Feldenum et Osandrum, defendit VLRIC. OBRECHT. in obseru. ad h. l. f. 1071.

(2) Mariam, Scotorum reginam, cum, rebus in Scotia male gestis, in Angliam concessisset, statim animum ad res, in eo regno nonandas, adiecisse, et aliquot regni proceres in suas traxisse partes, commemorat THVAN. ad A. MDLIX, lib. XLVI, p. 467. Praeter WILH. SANDERSON: qui vitam huius reginae Anglice scripsit, ple- raque eius facta, sententiam capitis, contra eandem latam, et tristissimum denique supplicium, fusc recensuit CAMDEN. in part. III, annal. ubi p. 494, breue hoc iudicium addit, A Morauio, fratre notho, et aliis subditis ingratis et ambitiosis, exa- gitata fuit, regno abdicata, et in Angliam fugata, ab Anglis nonnullis, ut aequi bo- nique censuerunt, de sua religione retinenda, et Elisabetae salute tuenda, sollicitis, circumuenta, ab aliis, Romanam religionem restaurandi percupidis, ad consilia periculi plena protrusa, et amanuensium absentium, qui pretio corrupti uideban- tur, testimonii oppressa. Historiam quoque ipsius condiderunt BVCHANAN. in lib. XX, rer. Scot. f. 717, sqq. METERAN. in lib. XIII, f. 520, sqq. LETI nella uita d' Elisabetta, part. II, lib. II, p. 174, sqq. Iusto eam supplicio fuisse affectam, cum Arni- saco, Sprengero, aliisque, statuit CASP. ZIEGLER. in diss. de competente delinqu. iudice et for. §. 16, in discept. ejus sel. p. 315. Sixtus V, Pontifex Romanus, au- dito hoc Mariae supplicio, ut homo erat sanguinarius, felicem ea de causa Elisa- betam praedicauit, dicendo, Oh beata Regina, che sei fatta degna di vedere ca- dere una testa coronata a' tuoi piedi, ut narrat LETI in cit. uic Elisab. p. 194, et in uita Sixti V, tom. III, p. 193.



(3) Eius, qui Rex, aut Princeps, sit, imperio subiectos etiam esse ipsius parentes, uxorem, ceteramque familiam, statuit quoque COCCEIUS in diff. de iustitia belli et pacis, in statu Regni Portugalliae fundata, artic. I, quaest. III, in tom. I diff. ipsius p. 886.

§. VIII.

*Refutatur haec argumenta.*

Sed contraria haec argumenta eo facilius dissolui possunt, quo minus momenti prae illis habent rationibus, quae ad corroborandam confirmandamque sententiam nostram superius sunt allatae. Quantaecumque enim Hugonis Grotii, uiri admiranda utique doctrina celebris, cum apud alios, tum etiam apud nos, fuerit auctoritas, tanta tamen non est, ut, omnia eius placita mordicus tenenda, existimemus. Tantum igitur adest, ut, in Regem, aut Principem, qui imperio se abdicauerit, omne id licere, quod in priuatum liceat, cum ipso statuamus, ut, nonnullos eiusdem interpretes (1) secuti, hoc illustri, quam Princeps usque retineat, conditioni maxime repugnare, arbitremur. Principem, qui summum rectoris fastigium reliquit, priuatum esse, diximus, sed talem, qui cum ceteris ciuibus, alienae subiectis uoluntati, adeo non aequari possit, ut, nobilissimam quippe dignitatem, cum naturali coniunctam libertate, obrinens, ab illis plane distinctus censeretur, in quacumque demum re publica, sibi relictus, commoretur. Omnem in re publica subditum esse priuatum, largimur, sed omnem priuatum pro subdito haberi oportere, pernegamus. Cum societas ciuilis statum naturalem haud tollat, ecquis dubitare uellet, quin Princeps, dimisso sceptro, communem in quauis ciuitate humanitatem capessere, et, ab omni imperio liber, tamdiu securum in ea domicilium habere, resque suas, suo arbitratu, procurare possit, quamdiu, seruat naturae gentiumque legibus, nullum reipublicae periculum molitur. Quod si legati publica apud gentem externam negotia sic tractare possunt, ut, naturali utentes libertate, nec, nisi mittentium uoluntati, et publicis gentium legibus, parentes, maximis in ea honoribus amplissimisque priuilegiis fruuntur, quidni Principi, in certa ciuitate, uitam priuata-

tam



tam, et eam plerumque solitariam, hoc modo transigere liceret. Quemadmodum uero legatus, ubi publicas excitare turbas, adeoque non ministrum, sed hostem, agere ausus fuerit, hostilem quoque uim subire, et dignam malefactis ultionem perferre debet, (2) ita priuatus etiam Princeps haud secus, ac publicam, rectoris personam sustinens, coerceri, iustisque contineri finibus, potest, si malum aliquod in rempublicam, ubi degit, machinari, ipsius Principi regnanti insidias struere conetur, quamquam id dignitati eius dari oportet, ut, grauissimi etiam criminis reus, in perpetuam potius custodiam includatur, quam, capitis damnatus, popularis instar hominis, publico plectatur supplicio. Hinc facile iudicari potest, cur, Mariam, Scotiae Reginam, etiam si culpam commeruisset uideretur, iniusta, ipsique Reginae, Elisabethae, turpissima, nece periisse, aequiores rerum arbitri profiteantur. (3) Priuatum uero Principem ideo sub regnante esse, quia coniux etiam, omnisque principalis familia, potestati eiusdem subit, ob allata hactenus argumenta, plane negamus, praefertim cum alii etiam uiri, et doctrina, et iudicio, praestantes, contrariam hic sententiam argumentis sat grauibus confirmarint. (4) Quod denique ad exempla eorum attinet Principum, qui, postquam de summo decesserunt imperio, partim cum popularibus, et tantum non gregariis, ciuibus se comparauerunt, partim priuati etiam ciuis officia regnanti Principi praestiterunt, uti Ptolomaeus Lagi, semel iterumque nominatus, fecit, ex uulgari Iure consultorum sententia, respondemus, aliquem suo quidem iuri renuntiare, et certa de causa remittere aliquid posse, hoc tamen alteri, suo utenti iure, non magis nocere, quam si quis omni se dignitate, omnique praerogatiua, in cognati alicuius gratiam priuare conficiueret.

(1) Quomodo Osiander, Io. Feldenum secutus, in obs. ad h. l. Grotii, dissentiat, supra exposuimus. Huic etiam accedit IO. GEORG. SIMON in not. ad eund. loc. Grotii p. 145.

(2) Pertinent huc scriptores de delictis legatorum, ueluti RICH. ZOVCHAEUS in lib. de legat. delinqu. iudice competente, Oxon. 1671, HENRIC. COCCBI in diss. de legato sancto, non impuni, Francof. 1717, et IMMAN. WEBER, in iudicis aduersus legatum delinquentem, Giesae, 1698, 4.



(3) Sunt utique permulti, qui infelicissimam hanc reginam quodammodo defendunt, e. c. IOHNSTON, in lib. IV rer. Brit. p. 716, BOTER, in Commentar. lib. X, p. 362, BEGMAN, in c. supra hist. orb. terr. p. 567, et C. S. SCHURZFLEISCH, in c. diss. de eo, quod interest abdic. p. 14.

(4) Legi hic in primis potest Consultissimi Viri, D. CHRISTIAN. SCHOENH, Rechtliches Bedencken, ob eines regierenden Fürsten und Landes-Herrn Gemahlin ihres Gemahls Unterthanin sey, Leipzig 1733, in 4.

§. IX.

*Concluditur monito et uoto.*

Hactenus sat certis quidem rationibus demonstrasse nobis uidemur, Principem, qui, imperio se abdicauit, in talem peruenire conditionem, quae, etsi priuata sit, eximia tamen et illustis, imo naturalis, censerī debeat. Quoniam uero ex historiarum monumentis constat, quam facile dimissi abs se sceptri poenitere possit Principem, (1) prudentia utique postulat, ut non, nisi grauissima de causa, tale consilium suscipiatur. Si qua mutatio est, quam periculofam iudicari oporteat, ea profectio est, quam Principes ciuitatumue rectores, imperium aliis tradendo, faciunt. Omittimus, quantum detrimenti reipublicae afferre possit abdicatio, ubi uel aptus ad regnandum successor deest, uel magnae turbulentaque tempestates impendent. Id tantum prudentiori cuique considerandum relinquimus, an Princeps, qui publicam imperantis personam deponit, suis consulat rationibus, siquidem, quod nunquam, uel raro, recuperari potest, quasi in spem futurae poenitentiae, dimittit. Itaque necessum est, diu de eo deliberari, quod semel statui oportet. Largiatur autem DEVS, summus caeli terraeque dominus, Principibus, summo praefectis imperio, tam integras animi corporisque uires, ut non, nisi poscente morte, eo se abdicare constituent.

(1) Maximianum abdicacionis poenituisse, supra diximus. Singulare de eo iudicium fert ERTC. PUTEAN. in lib. I. histor. Insubr. p. 6. An idem de Carolo V dici possit, disquirunt OBRECHT. in c. supra diss. p. 248, et LETI in c. pariter uita Caroli V, tom. IV, p. 362. Victorem Amadeum, suadente coniuge, recuperandi etiam regni consilium iniisse, narratur in cit. supra Archiv. Geneal. p. 268.

NOTA, p. 3, post uerbum, *abduci*, omissum esse num. 3, et p. 8 post uerbum, *consumsit*, n. 6.



CLARISSIMO DOMINO MAGISTRO  
RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES

**S**I quisquam homines, famae laudisque cupidos, prudenter  
monuit, id profecto fecit Hippomachus, ille palaestrae  
praefectus, qui, teste Aeliano, \* athletam quendam,  
cum circumstans hominum multitudo ipsi de edito ar-  
tis specimine applauderet, uirga percussum, ideo repre-  
bendit, quod nihil, nisi uulgari dignum approbatione, praesti-  
zisset, haud perpendens, quicquid ageretur, non rudi demum uulgo,  
sed uiris, rerum artificialium peritis, complacitum esse oportere.  
Nouerat quippe Hippomachus, ita uulgarem uitae ciuilis rationem  
esse comparatam, ut homines, imbecilli mente laborantes, caecoue  
imperu incitari, ea saepius laudent, quae intelligentioribus, et certo  
omnia iudicio merientibus, minime placeant, ea autem uiruperent,  
et perulantissimis identidem dictis perstringant, quae iusti rerum  
aestimatores merito commendent. Ea de causa idem Aelianus  
paullo ante \*\* exemplum attulit Megabyzi, Persae cuiusdam,  
qui, cum picturas, inculte borrideque factas, laudibus extol-  
leret, alias uero, summa cum industria elaboratas, carperet,  
a pueris, melinam terentibus terram, deridebatur. Quapropter  
Zeuxis

\* In lib. II, V. H. cap. VI, ubi monitum his uerbis comprehen-  
ditur, ου τοῖς πολλοῖς, ἀλλὰ τοῖς ἔχουσι νοῦν θωρητικὸν τῶν  
δρωμένων, ἀρεσκεῖν δεῖ.


\*\* Videlicet in cap. II eiusdem libri.



Zeuxis eum admonerat, dicendo, si taceret, pueros, externum spectantes habitum, ipsum admirari, statim uero contemnere, ubi de arte, sibi ignota, iudicare auderet. Itaque haec demum uera laus censeretur, quam uiri sapientiores et aequiores, pro merito, cuius impertiunt. Hoc Tibi non obscurum esse, V. C., plurimis certe documentis comprobasti. Id enim maximo egisti studio, ut optimis quibusque uiris, hic pariter, atque alibi, perplaceres. Quo factum, ut non digna tantum laude ornatus fueris, sed principum quoque uirorum praesidio adiutus. Illustris sane WOLFFRAMSDORFIUS singulari erga Te amori hoc dedit, ut conuictus gratuiti beneficium Tibi conferret. Nec dubitandum est, quin apud ipsum in laude et gratia hoc magis sis mansurus, quod anniuersaria nuper oratione laudatissimae Gentis memoriam recoluisti. Quae quidem oratio, de Ioue hospitali, copiose ornateque scripta, luculentum doctrinae atque industriae Tuae specimen praebuit, non tamen ea sola hic defungendum esse, arbitraris. Aliam nunc exercitationem ita habere paras, ut nouam quoque laudem, nouamque doctorum commendationem, hinc adipiscendi spes haud dubia existat. Neque aliam, nisi meam, hic operam expetere uoluisti, cerro confusus, ad eiusmodi quoque officium, Tibi praestandum, eo promptiorem me fore, quo magis Tuum de me meisque bene merendi studium cognitum habeo ac perspectum. Macte igitur Tua uirtute, V. C., macte Tua doctrina, macte egregia Tua laude. Perse in laudabili Tuo proposito eos duntaxat Tibi conciliandi, quibus, quid aera distent lupinis, cernere est datum. Ita optimus quisque Te amet. Ita faxit DEVS, ut Perillustris Maecenas et Patroni Amplissimi, quibus dissertationem hanc academicam, ueteri clientum more, dedicasti, sua Te gratia suaque ope prouebere, et breui in optato honorum gradu collocare dignentur. Vale. Scribebam

Vitembergae postridie Calend. Septembr.

MDCCXXXIV





Ks 1820

ULB Halle  
005 360 900

3



*[Handwritten signature]*











Q. D. B. V.

EXERCITATIO ACADEMICA  
DE

CONDITIONE  
PRINCIPIS QUI  
IMPERIO SE  
ABDICAVIT

QUAM

PRAESIDE

MARTINO HASSEN  
MORALIUM ET CIVILIUM PROFES-  
SORE PUBLICO

IN

ILLUSTRI AD ALBIM ACADEMIA

AD D. IV SEPTEMB. MDCCXXXIV

H. L. Q. C.

INSTITUET

GOTTLIEB FRIEDERICUS FICKER

CIZENS. MISN.

PHILOS. MAG. ET SS. THEOL. CULTOR

VITEMBERGAE

LITTERIS VIDUAE COBERSTEINIAE.